Draconis libro 2 suarum hystoriarum. Et orosius libro 1 ... mundi. Cum Romam a gottis captivarent illi soli evaserunt qui in nomine xpi ecclesiam ingressi fuerunt. Unde Gotti romanos capere potuerunt sed ob reverenciam nominis xpi in ecclesia manentes liberos dimittebant. Quam obrem Augustinus primo de civitate dei romanorum ingratitudine increpat eo quod dicebant nomen xpi eis obfuisse et cum eorum ydola superare non valebant ipsi in nomine xpi liberati facti fuerunt. Ex qua hystoria fuerunt aliqui et dicunt quod ab illo tempore citra principes itales libertatem in ecclesia malefactoribus concesserunt quoniam laus eius in ecclesia sanctorum ut propheta.

## Capitulum 13m de humilitate principum

Superbia semper postulat casum. Nullus igitur principatus stabilis ubi superbia regnat. Unde in Genesi xi dicitur quod homines propter suam superbiam turrim erexerunt et exinde ipsi qui unius ydeomatis erant divisi fuerunt. Attendamus enim quoniam superbia divisit angelos, superbia depressit Neronem, omnis quoque sedicio a superbia exordium cepit. Ideo Seneca ad lucillium sic monebat. Certus esto benignus omnes tibi pares facias inferiores superbiendo ne contempnas superiores debite vivendo non metuas. Unde libro de nugis philosophorum de Iulio cesare legitur quod suis militibus numquam dicebat ite sed semper venite quia sic non solum volebat sibi serviri sed eciam servire promptus erat. De quo ibidem legitur. Cum quidam veteranus quadam die cum dampnaretur coram iudicibus rogavit cesarem ut defenderet et iuvaret eum, cui cesar dedit bonum advocatum in suum adiutorium. Cui veteranus ait: Ego inquit te periclitante in bello assiatico non quesivi advocatum sed ego pro te ipse pugnavi. Vide inquit vulnera que pro te suscepi. Tunc cesar vulnera videns erubuit et mox ad iudicium eius descendit timens ne superbus aut ingratus crederetur. Unde dicebat: Ille enim se militem nescit amare qui non laborat ut militibus carus sit. Insuper Seneca libro xto [?] de ira de humilitate Antigoni regis narrat quod quadam nocte audiens suos milites sibi condicentes eo quod tunc ipsis onera maxima deferebant. Ipse igitur Antigonus clandestine descendit et ipsis nescientibus quis esset eos iuvabat in portandis oneribus ipsis. Quo tandem dixit: Nunc inquit maledicite Antigono cuius vicio in has miserias incidistis. Nunc enim bene optate


© Universitätsbibliothek Freiburg
gefördert durch Baden-Württemberg